



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Alexander M. 13. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. ALEXANDER M. 13. Maii.

NOs, quâ te voce possumus, Christiane miles, excitamus; ALEXANDRVM enim ad certamen pro fide subeundum Angelus animavit, & adversus Maximiani tormenta invictum præstitit. Sed & Pæmenia mater, raro in feminâ exemplo, cælesti hortatori succinuit, ex Italiâ in Thraciam abducti, & iter omne suo sanguine nobilitantis filii comes. Præconio illius ad illustriora passim tribunalia Christum prædicantis, quidquid inter Italiam Asiamque interest, revixit, & relanguescentes Christianorum animos fortissimi juvenis sanguis ad pares ausus accendit. Diu pulchrius hominibus Angelisque spectaculum præbitum non fuerat, neque contineri vel hi vel illi potuerunt, quin identidem applauderent certanti. Omnia passum, quæ Tiberiano Præsidi furoris ingenium dictavit, caput à Cælestino carnifice abscissum est, sed ferrum stringere non antè auso, quam Angehi beati Martyris satellites, ipsomet deprecante, paulò longius ab ejus latere secederent. Corpus in flumen projectum canes extraxerunt; bini ex iis matri obviam progressi nobilis thesauri indicium fecerunt. Functam ultimo pietatis officio de cælo filius est allocutus paratæ mercedis sponsor. Dolendum ALEXANDRI hujus verè magni virtutibus parem scriptorem non obrigisse, sed illud amplius, tam paucos habere imitatores. *Ex Metaphr.*

Cum fallax hujus Mundi felicitas tot calamitatibus sit obnoxia, cum potentia temporalis tot casibus varianda subjaceat, & rerum ordo sese velut scenica vertiginis alternitate confundat, quis sana mentis à rebus tam

frivolis

13. Maii. VITÆ SANCTORVM. 243
frivolis tamque fugacibus animum non avertat? S.
Pet. Dam. lib. 7. ep. 5.

S. JOANNES SILENTIARIUS. 13. Maii.

Diceret idem jam esse Joannem & MARIAM amatorem. Certè talis ille fuit JOANNES, qui à taciturnitate nomen habet. Etenim magnarum opum hæres earum hæredem esse MARIAM vivus voluit, nobilissimo in ejus honorem templo extracto; ipse vitam cum aliis DEO DEIQUE MATRI devotam egit, tantâ animi integritate, ut nudum, quoad vixit, nunquam se aspexerit, vel hâc unâ sanè verecundiâ VIRGINI charus. Ad infulam subinde omnium votis præterquam suis vocatus, Hierosolymam abiit: ibi cum stellam cruce insignem vidisset, audissetque vocem, quâ præeuntem sequi jubebatur, memor quàm bona dux Stella jam olim fuisset, extemplò in viam se dedit. Nec aberravit profectò, nam rectà in cœnobium amplissimum venit, in eoque VII. annos; in spelæo deinde IX. alios silentio traduxit. Hinc egressus & viarum anfractibus implicitus, à Cælitibus eò iterum reportatus, & contra incursiones Saracenorum à leone est defensus. Tandè ad cœnobium reversus, & post multos annos ab Angelo proditus, Caryotam in petram abjecit. Et ecce continuò hæc simul radices simul germen agere, tum frondes totâ ædiculâ explicare, & post tertium denique diem fructum ferre. Abiit deinde JOANNES ex humanis anno M. LVIII. ætatis C. IX. vir qui vel tacendo meruit, ut omnis de illo ætas loquatur. Ex *Metaphr.*

Loquere sanè, si quid silentio melius & excellentius habes; at ubi silere præstat, quàm loqui, silentio acquiesce.